



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

§. II. Varietas Sententiarum & Argumentorum de motivo Charitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

Deum, etiam hinc militat. Unde proportionaliter ad dicta supra dando commune nomen Deo & Creaturis, objectum tale, erit, Ratio volibilis, vel Boni.

ASSERO II. *Objectum Charitatis materiale, prout Charitas, est habitus fruendi, est solus Deus.* Sumitur hæc phrasid ex Aug. L. 3. de Doctr. Christ. cap. 3. Ubi actualem charitatem, appellat verum animi motum, ad fruendum Deo. Quod autem charitatis sic sumptæ objectum sit Deus.

RATIO est, quia id quo fruimur ex Doctrina Aug. & PP. habet se tanquam ultimus finis, cuius possessio beæ, solus autem DEUS beatus.

ASSERO III. *Objectum formale Charitatis Theologica, est Deitas, in quantum habet rationem, (ut communis phrasid loquar,) bonitatis primæ, secundum se & propter se bonæ, sex bonitatis in se & per essentiam.* Quod habeat pro objecto Deitatem.

RATIO est, quia aliàs non esset virtus Theologica.

Quod autem Deitas, sit illud objectum sub formalitate volibilis seu bonitatis.

RATIO est, quia habitus ille est habitus voluntatis, voluntas autem pro objecto habet, ut dicitur communiter bonum.

Quod autem habeat pro formali bonitatem propter se seu in se, per essentiam bonæ.

RATIO est, quia charitas est actus amoris amicitiae; consequenter & habitus erit habitus amoris amicitiae: amor autem amicitiae respicit bonum secundum se: & licet v.g. Deus sit amabilis propter suam sapientiam, hæc tamen amabilitas convenit illi, in quantum ipsa sapientia bona est; licet item possit amari propter beneficia, eo tamen casu, gratitudo pro beneficiis, imperat amorem Dei, propter se, vel simpliciter erit gratitudo, non amor.

S. II.

Varietas Sententiarum & Argumentorum de motivo Charitatis.

Alii cum Vasq. & pluribus tam Recentioribus, quam Antiquis docent motivum amoris erga Deum, & proximum, respectu quidem Dei, esse ipsam illius bonitatem, respectu autem proximi duplicem amorem distinguunt, & amore quidem concupiscentiæ, dicunt illum amari propter Deum, amore autem amicitiae amari proximum, quando motivum formale illum diligendi, non est ipse Deus, & bonitas increata, sed bonitas creata proximi.

Alii autem cum communiori sententia unum assignant, motivum, nempe bonitatem increatam Dei. Pro hac sententia citatur S. Th. Suar. Val. & post illos Amicus d. 24. S. 3. Quanquam Suar. pro minus principali motivo amoris proximi, ponit participatam Dei bonitatem. Et quidem, quod unum non nisi sit Charitatis Dei & proximi motivum.

PRIMA RATIO est Auctor. PP. qui unicam tantum agnoscunt charitatem, quâ Deum & proximum diligamus; & ita August. Serm. de

Dominica post Ascensionem. *Non alia, inquit, charitas diligit proximum, quam illa, quæ diligit Deum, quâ charitate proximum, ipsa charitate diligimus & Deum.*

RESPONDERI potest. PP. non plus velle, quàm quod idem sit habitus charitatis Dei & charitatis proximi, amati propter seum; sed hoc non probat idem esse motivum: quia intra eundem habitum, possunt reperiri plura distincta specie motiva. Quod magis procedit de habitu charitatis; qui se habet per modum potentiæ volitivæ supernaturalis. Jam autem potentia volitiva naturalis plura habet motiva. Difficilis est Richardi Locus, quem citat Amicus. Aliquo, inquit, actu charitatis diligi potest Deus, quo non diligitur proximus, quamvis eodem habitu charitatis diligitur uterque, tamen nullo actu charitatis potest diligi proximus, quo non diligitur Deus. Sed Cõcedi potest Richard. fuisse in opposita sententia; vel quod loquatur de amore proximi propter Deum, quo casu saltem indirectè debet amari Deus, non loquitur autem de amore proximi propter bonitatem aliquam supernaturalem, propter quam illum non posse amari, non ostenditur.

SECUNDA RATIO est, quâ utitur Amicus Charitas, est habitus perfectissimæ dilectionis, tendens in objectum juxta perfectionem objecti diligibilis; at nulla creatura est bona, nisi bonitate participata à bonitate increata Dei. Ergo nulla est ex charitate diligibilis, nisi ultimati propter infinitam bonitatem Dei.

RESPONDETUR. Ex hoc ipso, quod creatura non sit diligibilis, nisi bonitate participata, probatur, non ex eodem motivo diligi proximum & Deum. Deinde licet nulla creatura sit bona, nisi bonitate participata Dei, in re loquendo, in ordine tamen ad nostras intentiones, poterit non attendi ad formalitatem participatæ bonitatis.

TERTIA RATIO à Pari.

PRIMA PARITAS. Charitas ipsa increata Dei, cujus participatio est charitas creata, nullam creaturam diligit, nisi ultimato propter seipsam, Ergo & charitas, quâ diligimus proximum.

RESPONDETUR. Etiam in Deo datur formalitas amoris, quâ diligit creaturam, etiam propter bonitatem, quam habet.

SECUNDA PARITAS. Ita se habet charitas infusa ad diligendas creaturas propter bonitatem Dei, sicut Lumen gloriæ ad easdem intelligendas propter intelligibilitatem Dei: sed specificativum visionis creaturarum in Deo, non est intelligibilitas creaturarum, sed Dei. Ergo specificativum amoris creaturarum, quæ propter Deum diliguntur, non est bonitas creaturarum sed Dei.

RESPONDERI potest. Negando, quod intelligibilitas etiam creaturarum, non specificet aliquas notitias creaturis principiatas à Lumine gloriæ, licet illæ, quæ tales, non sint beatificativæ intellectus, nisi fortè velis ad alium habitum, non ad Lumen gloriæ, tales notitias referre.

(1) 5

QUAR-

QUARTA RATIO ex Amico est, quia quamvis directè & immediatè non semper ametur proximus propter Deum, semper tamen movetur indirectè & terminativè: amatur enim propter bonitatem participatam; quo posito sic urget. Semper principale specificativum, est id, quod principaliter intenditur, sive directè sive indirectè: sed etiam charitatis erga proximum motivum, quod principaliter intenditur est bonitas increata Dei: est enim participata bonitas increata Dei: est enim participata bonitas, respectiva ad Divinam. Ergo.

RESPONDETUR. Non omni actu amoris proximi, qui movetur bonitate participata respici bonitatem Divinam, cum possint ad illam nostræ intentiones non attendere, quâ participatâ.

QUINTA RATIO est. Idem objectum specificatum directum & reflexum; etiam si ad directum immediatè & directè, ad reflexum autem non nisi mediatè concurrat. Ergo idem dicendum est de amore proximi, ob bonitatem Dei participatam.

RESPONDETUR. Consequens esse verum de amore proximi ob bonitatem participatam, in quantum participata & respectiva est, non autem si fiat actus, vel ex motivo participatâ bonitatis absolute & materialiter spectatâ, vel si fiat merè ob bonitatem supernaturalem.

Argumenta, quod non sit idem motivum

Amoris Dei & proximi.

I. ARGUMENTUM est. Si foret idem objectum amoris Dei & proximi, haberet pro motivo bonitatem increatam; & hoc non: quia ille actus amoris proximi & foret actus amicitiae, & non foret; foret quidem, quia hinc de tali actu quæritur, non foret autem: quia amor amicitiae ex Philosopho, est gratia amici, amor autem ille proximi, est gratia Dei; hinc qui amat amicum propter amicum, sed propter complacentiam sui, non amat amore amicitiae. Quod si dicas amari proximum propter participatam bonitatem, hoc ipso non erit jam idem motivum amoris Dei & proximi: quia Deus non amatur propter participatam Dei bonitatem.

RESPONDETUR. Amorem amicitiae debere esse gratiâ amici, hoc est, non propter utilitatem amantis, potest autem esse non propter utilitatem amantis, licet propter participatam Divinam bonitatem ametur; de quo alias.

II. ARGUMENTUM est à Pari.

I. PARITAS est. Potest proximus amari propter perfectionem naturalem, sine ullo ordine ad Deum, tanquam Auctorem naturæ. Ergo etiam potest amari propter perfectionem supernaturalem, sine ullo ordine ad Deum, tanquam Auctorem supernaturalium.

RESPONDERI posset. Tale motivum assumi quidem posse ad amandum proximum, sed ostendi debuisset, quod ille actus adhuc proficisci posset ex habitu charitatis. Diceret enim

quis, quod talis actus proficiscatur ab habitu amicitiae supernaturalis infusæ. Hoc tamen Argumentum probare videtur intentum, essetque factis necesse, & multiplicatio Entium sine necessitate, positio talis habitus.

II. PARITAS. Excellentia & Sanctitas creata, fundat diversum cultum, qui appellatur dulciæ; excellentia autem increata fundat cultum latriæ. Ergo etiam bonitas increata, assumpta pro motivo amandi proximum, pertinebit ad virtutem Theologicam, bonitas autem supernaturalis creata, assumpta pro motivo, fundabit diversam virtutem.

RESPONDETUR. Etiam illos duos cultus spectare ad eandem virtutem Religionis, licet alio specificè actu se exercentis, circa excellentiam creatam & increatam.

III. PARITAS. Assensus principii est diversus ab assensu Conclusionis, idque ideo: quia in Conclusionem est diversi ordinis veritas, & diversi ordinis in principio. Ergo etiam diversus erit amor, quo amatur proximus propter Deum, & diversus propter bonitatem supernaturalem.

RESPONDETUR. Hoc Argumentum etiam contra intentum proponentis probare; probaret enim, etiam si assumatur pro motivo bonitas increata participata, diversum illum fore actum, ab amore bonitatis increatæ. Nam in posteriori casu, bonitas increata, in se, amaretur, non autem in priori. Directè autem dici potest, quod sicut assensus principiorum ab assensu Conclusionis est distinctus specie; ita & amores illos duos: cum hoc solo discrimine, quod illi assensus à duobus distinctis habitibus oriuntur, ab eodem autem habitu illi duo amores: Disparitatisque erit ratio; nam cum habitus Conclusionis & præmissarum accommodet se actibus, à quibus principiat, si illi actus sint distincti specie, etiam habitus erunt distincti specie. Sed habitus supernaturales cum dentur per modum potentiae, non repugnant idem numero esse principium, etiam specie distinctorum actuum. Idque colligi potest ex PP. qui unam non nisi charitatem agnoverunt; quod si non possit intelligi de actibus iisdem numero & specie, saltem intelligi debet de habitu. Et sicut in naturalibus, quamvis electio & intentio sint actus specie distincti, nihilominus potest esse hæc diversitas pendens ab eodem principio, quod est voluntas, ita & in præfenti.

S. III.

Quomodo sumpta Bonitas prima, sit formalis Amoris DEI.

PRÆMITTO I. Dari amorem amicitiae erga Deum etiam naturalem. Est præmissum in parte contra Vasq. qui, cum debuisset amorem amicitiae semper idem motivum habere, negat duplicem habitum charitatis, quorum unus sit naturalis, alius supernaturalis.

RATIO. Tum quia potest demonstrare sibi

Metaph.